ANTONII RICCOBONI

ORATIO

IN OBITV M. MANTVAE BENAVIDII CELEBERRIMI I. C.

Habita Pataui in Augustissimo Eremitarum templo Prid. Non. Apr. M. D. X X C I I.



PATAVII Apud Laurentium Pasquatum
M. D. L X X X I I.

ANTONII RICCOBONI ORATIO in obitu M. Mantuæ Benauidii celeberrimi I. C.



EST hominum communis opinio, neminem ante hoc tempus in hac ciuitate mortuum esse, qui, cum diu uixerit, diuturniori tamen, & magis perpetua uita dignus esse existimaretur, quàm M. Mãtua Benauidius; qui tres quidem, & nonaginta annos uixit: sed tantum decus, & ornamentum gymnasio Patauino, iurisperitorum collegio, uniuersæ huic ciuitati afferebat, ut eum perpetuam uitam ducere omnes concupiscerent. Quantum autem fuit omnium studium in ciuem Patauinum præclarissimum, iurisconsultum summum, comitem, & equitem magnificentissimum: tantus luctus, ac mœror hac clarissima pompa funeris, atq. hoc nobilissimo hominum concursu est merito declaratus; tantaq; eloquentia requiritur in eo, qui eius præ

ſtantes, atq. eximias uirtutes in hoc hone ſtisſimo loco, & in hac maxima doctorum, iuuenum ſtudioſorum, ciuium frequentia ſit explicaturus. Quam dicendi uim, & copiã, cum fatear à me longe abeſſe; dii immorta les, quid me miſerius, aut laborioſius, aut afflictius fingi poſſet, qui præclaram uoluntatem ueſtram, Aud. ad M. Mantuam modis omnib. honorandum mirabiliter pro penſam mea, qui unus ex multis ad eum exornandum delectus ſum, infantia impediturus eſſe uidear; niſi intelligerem, tametſi animus concideret, memoria exciderent omnia, prætermitterentur illa quàmpluri ma, quæ minime obſcura ſunt, quæ patent, quæ ad maximam eius laudem per tinent: ſatis tamen eſſe poſſe, ut in uniuerſum dicam, omnium, qui fuerunt, qui ſunt, qui erunt in hac antiqua, ac celebri urbe, & copioſa, atq́; ad omnem laudem præſtantisſimis hominib. affluenti cla risſimum fuiſſe M. Mantuam? Hoc po teſt ſufficere, Aud. in hoc licet conclude

re orationem meam. Nam, quemadmodum ſingularia quidem, quæ ſunt infinita, fieri non poteſt, ut ſcientia comprehendantur, quorum certe ratione & Socrates, et Democritus, & Anaxagoras, & Empedocles recte dixit, nihil perfecte ſciri, & ipſe Democritus affirmauit ueritatem in profundo demerſam eße, & Arceſilas existimauit, nec illud quidem ſciri, quod ſibi exceperat Socrates; uniuerſalia uero, in quibus iubebat Plato ſapientiæ ſtudioſos conquieſcere, ad ſcientiam accomodata ſunt; ſic ſingulas quidem M. Mantuæ laudes nulla tanta ingenii facultas, nulla tam ſingularis induſtria, nullum tam acre ſtudium, nulla tam accurata eſt diligentia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare pro dignitate poſſit; in uniuerſum uero maxima eius decora, atq́ ornamenta cōplecti, cuiq́ uel infantiſſimo licet; ut mihi quoque ſatis eſſe existimādū ſit, ſi sūmatim dixero, cū plurimi in hac urbe omnib. floruerint temporib. omni uirtute præſtantes, M. Mantuam omnium

gloriam superasse: qui & ad patriæ suæ claritatem tuendam, atq. augendam natus esse diuino quodam consilio uidetur, et cum satis diu uixerit naturæ, satis diu gloriæ, satis diu quoque huic gymnasio, collegio, ciuitati, diuinitus in cœlum penetrauit; ut quàm nobis notum, atq. exploratum esse debet, diuina prouidentia omnia fieri, tam recreari, ac refici in communi omnium mœrore nos deceat. Is enim, qui hanc rerum uniuersitatem architectatus, & fabricatus est, Deus, cum omnia intelligat, & omnia uideat, omnia etiam procurat, & moderatur, omnia regit, & gubernat; neq; solum per secundas caussas globos cœlestes impellit, quorum concursionem modo Fati, modo Fortunæ nomine Plato significauit: uerum etiam animos hominum afflat; unde ars contemplandi proficiscitur, unde ars agendi originem habet, unde tantum & naturæ, & doctrinæ lumen in M. Mantuam profluxit, quantum homini desiderare fas est. Nam, quod idem Plato memoriæ mandauit, præ-

potentem Iouem per alios ſibi ſubiectos deos animalia omnia ex elementis procreaſſe, per bonos autem dæmonas, quos recentiores Theologi Angelos nuncuparunt, ipſa anima lia reb. omnibus ad uitam neceſſariis inſtru xiſſe, ita ut Prometheus, qui ſignificat ſuperiorum daemonum ordinem, homines il luſtrarit, & Epimetheus, qui inferiores dæmonas repræſentat, belluas exornarit; hoc figmento uoluit diuinus philoſophus denotare nihil mea quidem ſententia aliud, niſi illam Dei procurationem, quae M. Mantuam diuino mentis lumine colluſtrauit, iisq́ corporis uiribus adornauit, ut ad extremam ſenectutem bene ualens, atq́ indolens potuerit peruenire. Neq́ uero obſcurum eſt, hunc ipſum omnium grauisſimum philoſophum triplicem diuinam prouidentiam co gnouiſſe, unam uniuerſalem, alteram mi nus uniuerſalem, tertiam ſingularem. Prima enim ſummo Deo tribuitur, qui omnia proſpicit, omnia praebet, nihil ut ſit toto cœlo, terra, mari, quod eius ipſius nutu non

feratur, ut idem dederit, idem abstulerit M. Mantuam Deus, cui uelle obsistere super uacaneum, in quo nolle acquiescere, stultum est. Altera in aliis mentibus cælestib. constituitur, quæ singulæ non omnia simul munera omnibus, sed quædam afferre consueuerunt; quemadmodum M. Mantuæ Saturnus præstitit admirabilem iuris Cæsarei, ac Pontificii intelligentiam, Iupiter singularem agendi uirtutem, Mars animo sum in disputando ardorem, Sol clarissimam opinandi in legum studio facultatem, Venus honestissimi cuiusq; desiderii motum, Luna corporis ad labores, & uigilias idonei optimam naturam. Tertia pertinet ad bonos dæmonas, qui quaedam quibusdam subministrant, & sedem, ac domicilium habent partim in igne, partim in aere puro, partim in aere crasso; ita ut primi conuertant intelligendi facultatem ad diuina, & humana omnia contemplanda, & præsint uitae, quae uersatur in contemplando: alteri faueant irascendi facultati, &

regant

regant uitam, quæ posita est in agendo: tertii moueant uim concupiscendi, & dirigant homines ad hōestas uoluptates. Primi igitur boni dæmones M. Mantuam aptissimum ad omnem iuris diuini, & humani contemplationem: alteri uehemētissimum in utroq. iure disputatorem: tertii minime auarum iurisconsultum reddiderunt. Itaque fuit ipse oīum, qui in hac urbe unq̄ fuerūt, aut futuri sūt, doctorū diuinis munerib. ornatissimus. Neq; enim tam admirabilis, ac diuina ingenii praestantia aliunde emanasse, nisi à Deo uidetur; qui cum omnino esse communi opinione omnib. hominib. innata, & in animis hominum quasi exculpta comperiatur; quemadmodum hanc mundi fabricam confecit, quod nobis persuadet Sol, Luna, sydera omnia, cœli, & signorum ortus, uicissitudines rerum, atq; ordines, aliaq; admirabilia, quae non nisi praepotenti Dei manu confici potuisse putandum est: sic paruum mundum, qui uocatur homo, ita fabricauit, ut in eo diuina mul-

ta appareant; ſicut etiam in huius praexcellentisſimi uiri animo diuinitus fulſit tum memoria, & ea infinita rerum innumerabilium, quam propriam eſſe iurisconſultorum doctisſimi homines cenſuerunt, tũ in difficillimis quaeſtionibus inuentio, atq́ excogitatio ueritatis, tum grauis, plenaq́ legum doctrina, tum profluens quaedam elocutio, abundans idoneis uerbis, accommodatisq. ſententiis, tum alia quàm plurima, quae non ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu, nec ſine Deo exiſtere potuerunt. Quamobrem cum falſisſimum ſit illud, quod nonnulli impii philoſophi exiſtimarunt, eum, qui poſſit, ac ſciat, nolle rerum uniuerſitatem gubernare, eumq́, qui facere etiam res minimas grauatus non ſit, earum negligere gubernationem; & cui facilis fuit rerum procreatio, ei difficilem eſſe procurationem; quiq́ omnium accuratisſimus ſit, eum tardiorem eſſe ipſa natura, ipſaq. arte, quae res omnes tum magnas, tum paruas curant, ac partium ue-

nuſtatem ad totius pulchritudinem diſponūt: profecto bona omnia diuinae prouidentiae accepta ſunt referenda, ac pro comperto habē dum, hunc perilluſtrem; ac percelebrem iurisconſultum ſine diuino ingenio, & ſine diuina impulsione tam mirabiliter excellere in praeclaro legum ſtudio non potuiſſe.

Qua maximi uiri exornatione in uniuerſum habita contentus eſſe ſtatueram: ſed cum uos uideam tam benigno, & attento animo ea omnia, quæ dico, audire, tametſi nihil affer re poſſum, quod uobis nouum ſit, aut antea inauditum: tamen in tam iucunda uobis clariſſimi Doctoris commemoratione non deſinam ampliſſimum ſingularum, & ſingularium eius laudum campum aliquantisper ingredi, deq; ipſius reb. geſtis prope innumerabilib. tres præcipuas attingere. Non enim mihi conſilium accidit antiquiſſimam, ac præſtantiſſimam urbem Patauium eius patriam nec gentium quidem principi Romæ originis uetuſtate, & ciuium præſtantia concedentem in hac temporis anguſtia oratione celebrare

cuius nobilitas, & claritas ita à ueteribus ſcriptorib. expreſſa eſt, ita ſuorum ſcriptorum excellentia, iuriſconſultorum, philoſophorum, medicorum, oratorum, poetarum, hiſtoricorum, omnis generis litteratorum hominum gloria, conſeruata, atq. adeo etiam amplificata eſt, ut nullis teſtimoniis, nullisq; laudib. egere amplius uideatur; quã multis reb. admirabilem eſſe, cœli, fontium, fluminumq; in omnes partes nauigabilium amœnitate, atq. opportunitate, agrorum uber tate, collium amœnisſimorum uarietate, ma ris uicinitate, nemo eſt, qui hic adſit, qui non optime nouerit; ut plurimis iis, quæ de hac generoſisſima urbe dici poſsent, prætermisſis illud dicere ſatis ſit, natum eſſe M. Mantuam in urbe Patauio, in qua præſtantisſimi, & altisſima quadam mente præditi homines naſci, atq. honeſtisſime educari con ſueuerunt; & in ea maiores omnes dignita tes ſingulari ſapientia gesſiſſe; ac pro ea etiã honeſtisſimo legationis munere functum eſſe tunc cum Franciſco Donato Serenisſimo

Venetiarum Principi nomine publico Principatus dignitatem admirabili eloquentia est gratulatus. Nec statui in nobili eius familia exornanda, & nobilibus uiris, qui in ea floruerunt, commemorandis uersari; non solum, ne sim longior, quàm locus, & ratio temporis postulet: uerum etiam ne propriae eius laudes, quae plurimae, ac innumerabiles occurrunt, mihi deesse ad dicendum uideantur. Quamobrem, ut cœperam dicere, tria potissimum in memoriam uestram reuoco, & uobis consideranda, atq. admiranda propono, primum quae munera sane egregia, & praeclara in hoc celeberrimo gymnasio sexaginta annorum spatio obiuerit: deinde uero quib. dignitatibus propter singularem animi, atq. ingenii sui praestantiam ornatus fuerit: postremo quantopere esse utilis legum studiosis multorum etiam librorum, & uoluminum conscriptione, atq. editione studuerit, & conatus sit; ex quibus apparere facillime potest, eum mirabiliter floruisse, in summo honore uixisse, sibi nominis immortalitatem

quotidianis laboribus atq. aſsiduis uigiliis comparaſse, maxime dignum fuiſſe, qui maximarum, & clariſsimarum uirtutum ſplendore in cœlum euolaret. Etenim parente natus Petro Mantua, Medico celebri, & uiro probo, poſt earum artium ſtudium, quæ ad Humanitatem pertinent, quib. ſemper eſt mirabiliter delectatus, cum ad utrūq. ius Cæſareum, & Pontificium animum appuliſset, breui temporis ſpatio in eo ita excellere exiſtimatus eſt, ut facillimum ei fuerit, non ſolum Doctoris inſignia conſequi ætate annorum unius, & uiginti, & in iuris conſultorum collegium cooptari, ingenti applauſu, & laetitia bonorum; non ſolum cum magna ſua laude adhiberi ad criminū cauſſas pertractandas, et defendendas, in quibus excellentem gloriam adeptus eſt: eamq́; eloquentiam adhibuit, ut non nullis quoq. ad ſummum ſupplicium damnatis pepererit uitæ incolumitatem: uerum etiam ad dignitatem extolli ius ipſum publice interpretandi. Hic non dicam, quos ſtudioſorum

concursus habuerit ita, ut referta eius schola auditoribus facile aliarum scholarum, & aliorum doctorum eadem hora profitentium subsellia nudarentur; quantas admirationes, quantos applausus, quanta suarum laudum praeconia, cum leges interpretaretur, excitarit; quos progressus, & cursus fecerit ad celebrem famam, cum eum praeceptorem habere sexaginta annorum spatio sibi gloriosum duxerint ex omnibus gentibus, & nationibus tot legum studiosi, tot uiri illustres, tot Episcopi, tot Cardinales, in quibus etiã fuit is, qui postea factus est S. R. E. Illustrissimus Cardinalis, Tridentinus & Illustrissimus Cardinalis Caraffa, & alii clarissimis dignitatib. praefulgentes, quos omnes enumerare, & nominare longissimum esset. Tantum non tacebo singulari omnium iuris utriusq. studiosorum, qui eum audire potuerunt, utilitate, ac prope incredibili auditorum concursu, attentione, admiratione, Illustrissimi Senatus Veneti decreto in hoc praeclarissmo gymnasio interpretem fuisse;

primum Institutionum Iustiniani Imperatoris cum eiusdem muneris collega praestantissimo Nicolao Ianotio Patauino, eo, quem Serenissimus Urbini Dux consiliarium, & religiosissimus Foroliuiensis Episcopus parentem habuit: deinde sexti uoluminis iuris Canonici cum Ludouico Gometio Hispano, eo, qui Romae fuit postea, ut appellant, Rotae Auditor, cuiusq. monumenta extant litterarum praeclarissima: praeterea iuris ciuilis cum Vincentio Dallochio Bononiensi, & Aloysio Descaltio Patauino, egregiis iurisconsultis: inde iuris canonici cum Baldassare Cardutio Florentino, eoq. ex hac urbe profecto, cum Bernardino Claricino Bononiensi utroq. doctore eximio: rursus iuris ciuilis cum Francisco Curtio Papiensi, uiro excellentissimo, cum Io. Antonio Rubeo Alexandrino legum explicatore clarissimo, cum Hieronymo Cagnolo Vercellensi, interprete subtilissimo, cum Tiberio Deciano Utinensi, summo legum magistro, ac prope deo: rursus iuris canonici

stipendii

ſtipendii loco habens octingentos, ut uocãt, Florenos, id eſt maius oĩno p̃mium, q̃ alii unq̃ huius gymnaſii Doctores in iure canonico interpretando habuiſſe feruntur. Quo tẽporis ſpatio, ut omittã maximum eorum numerum, qui ab eo Doctoris inſignia in celeberrimo iurisconſultorum collegio accipere uoluerunt; ut taceam admirabilem eorum frequentiã, qui eum tamq̃ alterum Apollinem de rebus grauiſſimis conſuluerunt; ingentes diuitias honeſtiſſime comparauit, ut ſexaginta annis pluſquàm ſexaginta millia ſcutatorum, dico iterum, ſcutatorum plusquàm ſexaginta millia lucratus eße comperiatur. O ſingularem hominis induſtriam, unde magnificentiſſimæ ædes, unde locupletiſſimum musæum, antiquis ſignis, & operibus ex ipſa antiquitate petitis, ac rebus precioſis refertiſſimum, unde horti amœniſſimi, unde egregia in pauperes liberalitas, quibus eum fuiſſe munificentiſſimum etiam parietes huius templi ab eo propter uicinitatem frequentati teſtari uidentur, unde alia decora, & ornamenta proficiſci potuerunt. Ite uos, qui philoſophiam iuris

ſtudio ea cõtentione ãteponitis, ut iuris conſul tos à philoſophis disiungatis, quaſi inter oẽs facultates libero hĩne dignas inenodabile foedus non ſit, ac legum diſciplina non habeatur eius philoſophiæ, quæ in agendo uer satur, pars nobilisſima, & , ut Ariſtotelis uoce utar , architectonica; ite, ĩquã, & philoſophorum lucrum cũ iurisconſultorum honeſtiſsimo lucro conferte; ac tãdem aliquando iuris magnificentia cum philoſophiæ inopia comparata deſinite nobis (meam .n. ſimul cauſsam ago) maledicere; nec propter leguleios aliquos, propter corruptam in aliquibus legum diſciplinam, propter barbariem à recentioribus in iuris prudentiam, quemadmodum etiã in philoſophiæ ſtudium inuectam diuinam legum maieſtatem lædere nolitis. Partis igitur excellenti doctrina ſummis M. Mantua opib. inter alia multa, quæ magnificentisſime confecit, ſuum, ut modo dicebam, musæum mirabiliter adornauit , ita ut etiam in ſummis principibus prope incredibilem eius emendi excitarit cupiditatem, & præcipue in Galliae Rege Chriſtianisſimo , cuius nomine Gallis quibuſdam

nobilissimis ipsum emere cupientibus, etiam me præsente, audiente, & rem uerbis illorum procurante, non se uenditurum eiusmodi musæum tanto Regi, sed donaturum professus est. quod negotiū ut cum præstanti eius dignitate tractatum: sic illis Regis sui mandata transgredi recusantibus non sine magna gratiarum actione dissolutum est. Hac tanta celebritate famae nullum erat publicum gymnasium, nulla gens, & natio, quæ eum summopere non expeteret; immo & ipsa gentium, ac nationum omnium princeps Roma ipsum ad dignitates suas inuitauit. Neq. enim solum nobilissimi Bononienses honestissima, atq. amplissima præmia ei proposuerunt, ut in suum clarissimum gymnasium eum adducerent; non solum magnus Rex Lusitaniæ eundem accersendum curauit: uerum etiam Paullus iiii. Pontifex Maximus, & sapientissimus inter Rotae auditores habere concupiuit; qui tamen, ut gratissimum animum Venetis principibus, à quibus fuerat ornatus, ostenderet, patriamq; suā, qua nihil unquā charius habuit, deserere

ne uideretur, huius gymnasii splendorem ceteris dignitatibus & commodis, quamuis maximis, & plurimis, anteposuit. In quo gymnasio tandē, tamq̃ miles emeritus, interpretis locū, quē supraordinariū nominăt, cū facultate uel ꝓfitēdi, uel nō profitēdi arbitrio suo, nouo inter Patauinos ciues exēplo, est cōsecutus; cumq; ex diuturno sexaginta annorum, quibus professus est, spatio ter comes palatinus haberi posset (singulos enim triginta annos ius tribuere Comitis Palatini notum est) tamen etiam comes, & eques amplissimis priuilegiis à summis Principib. est factus, & declaratus; primum à Carolo V. maximo Imperatore ăno Christi millesimo quingentesimo quàdragesimo quincto: deinde à Ferdinando, maximo item Imperatore anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo: demum à Pio IIII. maximo Pontifice, anno millesimo quingētesimo sexagesimo quarto; tantăq; auctoritatem adeptus est, ut multi etiam principes eum uisere non dubitarint; & eo ipso anno, quem sanctum appellant, cum in extrema ætate non sine ingenti periculo Romam

proficisci posse uideretur, Gregorius XIII. Pō tifex summus diuinum beneficium ei sponte impertitus sit, ita ut ipsum haberet, perinde ac si ipse Romae adesse potuisset. ò uirum uel summis prīcipibus gratiosissimū, uere dignū, qui sexies comes, & eques, ter ex iure, ter uero etiam ex Principū facto haberetur. Taceo q̄ plurimos illos, qui Doctoris in iure canonico ornamēta priuatim ab eo, tāquā ab illustrissimo Comite, & magnificentissimo Equite desumpserūt. Taceo alia consulto, quòd certos mihi terminos praescripserim, quòdq; cū de uariis interpretandi muneribus, deq; uariis dignitatibus M. Mantuae iam dixerim, tertium, quod mihi proposueram, nunc breuiter cōplecti debeā, ut uobis strictim exponā, quantos labores, quantasq; uir nunquā defessus uigilias susceperit in multis operibus conficiendis, & libris, ac uoluminibus conscribendis. Quorum editorum, & edendorum numerus, & magnitudo ea est, ut eum publice occupatum potuisse tā multa scribere uix uerisimile esse uideatur. Quod .n. de M. Terentio Varrone dictum est, idem dici de M. Mātua Be

nauidio poteſt, eum tam multa legiſſe, ut ei uacaſſe aliquid ſcribere, mirum sit; eum tam multa ſcripsiſſe, q̃ multa uix quenquam potuiße legere, credendũ sit. Et quisq̃ erit, qui honeſtiſsimum tot, tãtorumq́; operum conatũ, ac flagrantiſsimum iuuandi praeclara litterarũ ſtudia desiderium reprehẽdere audeat, & non potius magnis laudibus efferat? Quid ꝓferã uariorum operum inſcriptiones, uarios tũ in ius Caeſareum, tum in Pontificium commentarios, Collectanea, Consilia, Scholia, Apophthegmata, Problemata, Dialogos, Enchiridia, Epitomas, Centurias, Orationes, Epiſtolas, & id genus alia q̃plurima, partĩ edita, partĩ edẽda, quae uix enumerari, nedum singillatim exornari poſſunt? Quamobrẽ Benauidiũ propter ĩmortales aĩmi uirtutes ĩmortali corpore dignũ fuiſſe, cõſtãs hominum eſt opinio: ſed id, Aud. ẽt si in quibuſdã eße optabile arbitramur, humana tamen cõditio nõ patitur. Natus eſt .n. homo, praeclarum aĩmal, plenum rationis, plenum consilii, qui caeteris omnib. animãtib. ĩperaret, oẽs terrae partes ꝑluſtraret, oĩa maria nauigaret, innumerabiles rerum

formas, quæ ĩ his elementis oriuntur, cognosceret, in cœlum usq. cogitatiõe, & cõtemplatione penetraret: ea tamen cõditione, ea lege, ut moreretur. Quòd si in hac uita ĩmortales essemus, quid nobis miserius, ac calamitosius fingi posset, quos perpetui huius ipsius uitæ fluctus, & turbines agitarent, continui animorum errores, immo terrores, continuae ꝑturbationes, immo euersiones opprimerent, assidua mala, & incommoda conflictarẽt? At erat Benauidius huius ciuitatis splendor, quo extincto nõ possunt oẽs nõ ualde dolere. Laudo Aud. laudo hanc uestrã in uirũ clarissimũ animorũ propensionẽ, uel potius pietatẽ; neq; hunc cõmunẽ mœrorẽ ullo modo improbo, quòd nõ ferrei, nõ saxei, nõ ex quercu, nõ ex silice nati simus: sed illud unũ contẽdo, in diuina uoluntate esse tandem acquiescendum; dolorem nostrum ĩmortali huius uiri gloria leniendũ, qui satis diu publicũ interpretandi munus obiuit, satis diu huius uitæ honoribus ꝑfrui uisus est, satis diu in litterarũ monumẽtis cõponẽdis laborauit, & uigilauit, ut nominis immortalitatẽ cõpararet; dolore deposito egregias eius uirtutes

imitādas; ipſius memoriā beneuolētia colēdā ſempiterna; eiuſdē propinquos cōſolādos, ꝙ ipſe ſatis multos ānos uixerit, qui fuerunt, ut initio dicebā, tres, & nonaginta, quòd christia nisſime mortuus ſit, ita ut in cœlū ſine dubio aſcēdiſſe exiſtimetur, quòd eius clarisſimum nomē nulla unq̄ obſcuratura sit obliuio, ꝙ ipſius laudes prædicēt oēs, ipsū omnes magna ueneratione colāt; ipſi tamq̄ cuidā deo quaſi ſacra faciant, & animos cōſecrent. Id quod ego quoq. cum ceteris facio, atq. ita facio, ut cū clara etiā diuini numinis, quod ī hoc augu ſtisſimo templo ſanctiſsime ueneramur, con teſtatione pollicear, me ſemꝑiter eos, qui M. Mantuæ Benauidii, ciuis Patauini omniū maximi, iurisconſulti oīum clariſsimi, comi tis, & equitis oīum illuſtriſsimi, & magnificē tiſsimi, laudes celebrabunt, appetiturum eſſe principatum.

F I N I S.

Cum Licentia Superiorum.